



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curix forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. VII. De litis, vel causæ introductione, contestatione, pendentia, & cessatione, vel desertione; Et de differentia, inter litem, & causam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

14 Quamvis autem (ut præmissum est) ista persona, ad iudicii integritatem necessaria non sit cum sine procuratore, Actor, vel Reus respectivè, iudicium per se ipsos agere valeat: neque ad constituendum procuratorem cogi possit; Adhuc tamen plures dantur casus, in quibus ista persona, sub diversis tamen vocabulis explicari solita, necessaria est ad iudicii integritatem: ac perfectionem; Quia nempe ipsa principalis persona, Actoris, vel Rei, proprias partes per se ipsam explicare non possit; Ut exempli gratia sunt pupilli, minores, amentes, fatui, & similes, qui sub necessaria, seu legali administratione vivunt, & cum quibus tutorem, vel curatorem legitimum non habentibus, iudicium peragi non valet, ideoque ad iudicii perfectionem, ac validitatem, curator, vel actor, ad litem illam peragendam deputandus est. *Affl. decis. 256. Buratt. & add. dec. 440. & 524. Gregor. & add. dec. 43. dec. 46. p. 10. rec. & sepius.*

15 Quinimo, neque sufficit sola deputatio, sed requiritur etiam effectiva susceptio defensionis, cum alias sententia aliaque acta contra pupillum, vel minorem, aut similem personam indefensam, nullius momenti reputanda sint, dum paria sunt, nullum adesse curatorem, vel defensores, & adesse, sed suas partes non explere. *ibidem, de quibus proxime.*

16 Idemque in omnibus aliis sub eadem legali, ac necessaria administratione viventibus, quibus eadem congruat ratio; Ut sunt Ecclesie, & Monasteria, vel pia loca, necnon communitates, & corpora ficta, seu intellectualia; Sive hereditates jacentes; ac etiam patrimonialia decocta sub concursu posita; vel patrimonialia illorum absentium, quorum status sit incertus, sive existant apud hostes, aut alias ita impediti, ut per se ipsos iudicium peragere, suaque jura tueri non valeant. *Apud eosdem & passim.*

17 Super modo, autem, vel praxi deputandi huiusmodi curatores, vel defensores, certa regula generalis cuicumque casui, vel loco applicabilis, non de facili statui potest; Et præsertim circa cautionem, vel circa juramentum, aliasque solemnitates, in tutoribus, & curatoribus aliisque administratoribus desideratas, cum locorum, ac tribunalium particularibus legibus, vel styliis frequentius inter se variis deferendum veniat.

18 Percutiant hæc validitatem, seu integritatem iudicii; Ea verò, quæ concernunt huiusmodi iudicialium procuratorum, vel defensorum personam, vel munus, benè vel malè explicatum pro iure principalis; sive an, qui fuit procurator unius in una instantia, possit esse procurator alterius partis in altera, cum aliis similibus, quæ Advocatis quoque communia sunt, in particulari discurtu Advocatorum, & Procuratorum, occasione relationis Curie habentur. *Infra in relatione Curie agendo de Advocatis, & Procuratoribus.*

19 De præiudicio autem, vel scientia verisimili principalis, resultante à scientia procuratoris, à quo præsumatur certioratus, & quandoque ad effectum attentatorum disputari frequenter solet; Verum id certam, ac generalem non recipit regulam, cuicumque casui applicabilem, cum totum ex casuum particularibus circumstantiis pendeat, & præsertim ex lapsu temporis congrui, adeo ut sequi potuerit certioratio, quæ verisimilis est, atque in dubio præsumitur. *De hoc agitur apud Greg. & add. dec. 127. Buratt. & add. dec. 307. Cels. decis. 152.*

An autem procurator teneatur de proprio ad mercedem Notarii, pro expeditionibus, & aliis absque promissione; Et an super ista credatur ipsius Notarii libro, disputari solet, atque regula videtur negativa, ex stylo Tribunalis, vel ex aliis circumstantiis limitari solita. *Buratt. decis. 174. Vestr. & add. l. 3. cap. 4. & lib. 7. cap. 1. Zacch. de salar. q. 78.*

20 De obligatione procuratoris appellandi, & appellationem prosequendi, agitur infra in appellationis Rubrica. *Infra in eo disc. in quo agitur de appellat.*

21 Et de facultatibus Procuratorum generalium Religionum, an & quando agant causas singulorum Monasteriorum, non de facili certa regula statui valet, cum varia sint religionum instituta. *De hoc agitur apud Coccin. decis. 169. Cavaler. decis. 206. dec. 201. p. 2. rec. Capuccin. de elect. dub. 104.*

22 Qualis vero sit Curie stylus circa Procuratorum, aliorumque caudicorum salarium agitur, infra in relatione Curie, agendo de Advocatis, & Procuratoribus, ubi etiam de eiusdem mercedis prælatione; Ac etiam de iis quæ concernunt materiam pacti quotæ litis.

De litis, vel causæ introductione, contestatione, pendentia, & cessatione, vel desertione; Et de differentia inter litem, & causam.

S V M M A R I V M.

1. De lite ad effectum Regule de annali, vel de triennali, vel vitii litigiosi in beneficiis.
2. De lite ad effectum preventionis.
3. De eadem ad effectum attentatorum.
4. De eadem ad effectum interruptendi præscriptionem.
5. Sive ad effectum restitutionis fructuum.
6. Vel pro vitio litigiosi.
7. Necessaria est distinctio terminorum.
8. Respectu actoris quid sufficiat pro lite.
9. Et quid respectu Rei, an requiratur citatio executiva.
10. Defectus citationis sanatur per comparitionem.
11. De reproductione an, & quando sit necessaria.
12. De eodem, & quando eius defectus non obstat.
13. Citatio Rei debet esse legitima, atque alias non sufficit.
14. De contestatione litis, quando ad sit.
15. Quando lis vel causa dicatur instructa.
16. De eodem ad diversos effectus.
17. De lite ad effectum vitii litigiosi, de quo num. 6.
18. De extinctione litis quomodo sequatur, & præsertim de peremptione instantie.
19. De eiusdem instauratione, seu de insufflatione spiritus.
20. De iure canonico non datur peremptio instantie; idque servatur in curia.
21. Sed etiam de iure canonico datur litis desertio.
22. De extinctione litis per mortem, unius ex litigantibus.
23. De extinctione per cessionem, & de differentia inter cessionem litis, & cessionem causæ.
24. De effectu litis pro alimentis dandis colliganti.
25. De Alexandria super offensione colligantium, vel defensorum.
26. De alio effectu litis pro subrogatione gratiosa danda colliganti.
27. Quando lis dicatur calumniosa.
28. De extinctione litis per rem indicatam.

DISC.

DISC. VII.

AD plures effectus de liti introductione, ac existentia frequenter in praxi disputari solet; Primò nempe in beneficialibus, ad illos utriusque regulæ de annali; Et de trienniali; Vel ad illum reservationis ratione vitii litigiosi, de quibus utpotè diversas, ac peculiare rationes habentibus, agitur in propria Beneficiorum sede. *Sub tit. de benef. disc. 47. & 91. & 92. & in eodem tit. in Supplemento in Tuden. Canonicatus, & in Vestana Canonicatus, & in aliis.*

Secundò generaliter pro judiciaria praxi, in quibuscumque causis cujuslibet naturæ, vel qualitatis, ad effectum majoris jurisdictionis, vel majoris competentie inter plures Iudices æque competentes, ratione præventionis, sive universalitatis, aut præjudicialitatis, vel connectionis, juxta ea, quæ agendo de iudice magis competente superius habentur. *supra disc. 3.*

Tertiò ad effectum attentatorum, qualia dicuntur ea, quæ lite, vel causa jam introducta, & pendente coram uno Iudice, gerantur coram alio, juxta ea, quæ inferius in attentatorum materia habentur. *infra disc. 18.*

Quartò ad effectum malæ fidei impeditivæ cursus præscriptionis, seu ejus interruptivæ, aut deductionis ejus temporis, juxta ea, quæ infra habentur in materia probationis præscriptionis immemorabilis, vel centenariæ, seu alterius brevioris. *infra disc. 21.*

Quintò ad alium effectum, pariter malæ fidei pro restitutione fructuum rei sub lite existentis, ut pariter infra ad materiam condemnationis fructuum, ac etiam expensarum liti habetur. *infra in eo discursu in quo agitur de expensis.*

Et sexto ad effectum contrahendi vitium litigiosi proprium, vel improprium, tam in prophanis, quam in beneficialibus, de quo etiam infra in particulari sede. *infra in discursu in quo agitur de vitio litigiosi.* cum similibus, de quibus in progressu totius materiæ judicialis.

Ad effectus autem prædictos, vel eorum aliquos respectivè, pro diversa qualitate, diversi sunt liti status, quoniam ad aliquos effectus sufficit solum initium, vel sola introductio; Ad alios autem introductio non sufficit, sed requiritur etiam contestatio; Et ad alios, neque ista sufficit, nisi accedat instructio; Hisque omnibus accedentibus, adhuc ad aliquos effectus, requiritur existentia, vel duratio, ob liti cessationem, vel expirationem, quæ pro diversis Tribunalium stylis resultare solet à peremptione instantiæ, vel ab ipsius liti desertione; Hinc proinde hujusmodi terminorum distincta notitia Practicis necessaria est, ne pro frequentiori eorundem Practicorum usu, totam scientiam restringendi ad solas traditiones, sive ad auditum, ea resultent consuetæ æquivocæ, quæ ex hujusmodi terminorum non bene cognita distinctione oriri solet, ut frequens & quotidiana experientia docet.

Quatenus itaque pertinet ad initium, seu introductionem liti, ad illos effectus, qui ex isto solo actu resultant; Distinctio est inter Actorem, & Reum, ut respectu Actoris, sive sit Actor verus, tam in ordine, quam in substantia, sive sit Actor in ordine, sed Reus in substantia, qualis est illa controversæ rei possessor, qui pro sui juris, vel possessionis confirmatione jactatorem,

vel diffamatorem in judicio provocat juxta distinctiones, de quibus supra in Actoris, ac Rei tractatione; *supra disc. 2.* Et tunc ad aliquos effectus, illos præsertim ex mala fide resultantes, tam pro impediendo cursum præscriptionis, quam pro impediendo juxta unam opinionem, licitam perceptionem fructuum, ipsa sola petitio in judicio facta, sive sit per viam libelli, sive per viam monitorii, aut commissionis, vel supplicationis, & cujuscumque alterius talis, qualis petitionis, vel decretæ citationis, sufficit, ut lis cœpta dicatur, quamvis alterius Partis citatio non accesserit, quoniam ex tunc ipse jam novit se posse dubitare de controversæ rei dominio, vel pertinentia, & consequenter se ipsum in statu litis, ac malæ fidei constituit, quando ejusdem causæ eventus ita doceat. *Gregor. & add. decis. 27. & 94. Buratt. & add. dec. 109. & 280. dec. 94. par. 7. rec. & sapius.*

Respectu autem alterius partis, cui tanquam provocata, saltim inspecto ordine, Rei nomen, seu vocabulum convenit, id nullius est operationis, nisi citationis legitima exequutio accedat, cum tunc lis, quoad eum cœpta dicatur, & non alias etiam si ejus decretæ scientia accedat; Nisi affectata latitatio, vel aliud impedimentum operetur, ut habeatur pro exequuta. *apud allegatos proximè supra.*

Vel quatenus de tali valida, & legitima exequutione non constet, accedat ejusdem citatis seu provocati comparitio, per quam omnis citationis defectus, sanatus, vel suppletus remanet; Cum etenim finis citationis sit Partis interessatæ evocatio, hinc proinde parte comparente, talis finis adimpletus dicitur, neque media quære oportet. *infra disc. 9. de citatione.*

Ad alium verò effectum firmandi jurisdictionem, vel majorem Iudicis competentiam, præmissa non sufficiunt, sed requiritur etiam citationis bene exequutæ reproductio, qua mediante illius Iudicis jurisdictionis firmetur, ipseque rectè agnoscat se esse competentem; Nil enim refert, quod Actor coram eo Reum provocando, citationem, vel aliam expeditionem obtinuerit, illamque exequi curaverit, nisi reproducat, eo quia pœnitere potest, atque sententiam mutare. *eodem discursu 9. de citatione.*

Et quamvis non semper, monitorii, vel alterius expeditionis reproductio necessaria sit, cum quandoque, etiam sine illa, sustineantur acta, quæ interim gesta sint; Attamen id provenit, quando Reo comparente, per Actorem, cum replicationibus, aliisque actibus, coram eodem Iudice continuatio fiat, ad effectum ostendendi perseverantiam voluntatis. *ibidem.*

Non omnis autem exequutio citationis quoad Reum sufficit, sed requiritur, ut legitima sit, atque servatis servandis facta, juxta ea quæ inferius ad materiam citationis habentur. *eodem disc. 9.*

Contestatio liti, juxta Juris civilis rigores, aliquas exigit formalitates, per Actoris scilicet interrogationem, & Rei responsum, aliasque solemnitates, quæ tamen penè ubique, ab Aula exulare videntur; Ideoque in Curia Romana, lis contestari dicitur per illos primos actus, qui inter Actorem, & Reum post legitimam citationem, ejusque reproductio sequuntur,

tur, quàmvis dicta formalitas interrogationis, vel responsionis non fervetur, cum ita per æquipollens fervari dicatur; Atque in iudicio recepta videatur propositio, quam in omni materia etiam quoad merita recipiendam esse frequenter advertitur, ut scilicet substantiæ veritatis, non autem verborum formalitati incumbendum sit. *de liti contestatione Vestr. in prax. lib. 7. cap. 3. ubi add. Rovit. pragm. 7. de ord. judic. & quod non detur in executivis Buratt. decis. 2. 77.*

¹⁵ Instructio verò liti resultare dicitur, non quidem ex ea publicationis, & conclusionis formalitate, quæ eodem juris civilis rigore attento, necessaria videtur, sed ex illorum jurium productione, ex qua Reus bene edoceri, seu instrui potuerit de ejus malo jure, seu non pertinentia domini, ac possessionis rei controversæ, ad effectum præsertim illius malæ fidei, quæ desideratur pro restitutione fructuum, quatenus pro Aylo, illa recepta sit opinio, ut ad hunc effectum non sola introductio, vel contestatio, sed instructio requiratur. *infra in eo disc. in quo de fructuum condemnatione agitur.*

¹⁶ Quamvis etenim idem instructionis terminus desiderari soleat ad alios effectus respicientes iudicii ordinem, puta, ut pro diversa praxi, post instructam seu conclusam causam unus ex colligantibus, altero invito, nova jura producere non valeat, vel novas facere probationes, aut deducere exceptiones. *infra in eo disc. in quo agitur de terminis substantialibus, quorum occasione agitur de publicatione, & de conclusione.* Attamen ad hunc effectum, causa dicitur instructa, quando colligans instrui sufficienter potuit de ejus malo jure, vel saltem de illo, ita dubitare, ut in vera mala fide constitutus dicatur, quatenus ea magis benigna opinio accipienda sit, ut hæc instructio ad effectum restitutionis fructuum requiratur, ut infra ad hanc materiam condemnationis fructuum advertitur. *dicto disc. in quo agitur de fructibus.*

¹⁷ Idemque procedere videtur circa vitium litigiosi, quoad alios effectus, præterquam illum causæ mutationis fore, ut pariter infra in sua particulari sede habetur. *infra in discursu in quo de vitio litigiosi.*

¹⁸ Cessat autem, vel extinguitur lis, ex juris civilis dispositione, ob instantiæ peremptionem, quæ a negligentia prosecutionis infra triennium in prima instantia resultet (cum de cessatione in ulterioribus instantiis intrent diversi termini desertionis appellationis,) ut propterea intret res judicata, ad quam transitum facit sententia primæ instantiæ, nisi secunda instantia in iis quæ pertinent ad negotium principale loco primæ habeatur, quia nempe causa introducta fit per appellationem ab aliquo decreto interlocutorio, vel ab alio incidenti. *de hac materia peremptionis instantiæ Rovit. super Rubr. & pragm. 1. de instant. caus. non restauran. & decis. 6. 29. & 74. Marant. in prax. par. 5. verbo. & omnia fiant durante instantia.*

¹⁹ Benè verum quod ista cessatio firma non est, quoniam ubi ista dispositio juris civilis viget, adhuc in usu est ejusdem instantiæ restauratio à Principe, vel ab aliquo Magistratu, ex regionis moribus, vel legibus, ad id potestatem habente concedi solita, quæ insufflatio spiritus alicubi

dicitur, & præsertim in Tribunalibus sæcularibus Regni Neapolitani, in quibus cum hac juris civilis dispositione proceditur; Unde propterea plures desuper apud illos Præcticos quæstiones cadunt, & præsertim circa retrotractionem, seu temporum conjunctionem, ad effectum restitutionis fructuum, ut scilicet tempus instaurationis tantum, vel etiam illud initii, seu introductionis causæ attendi debeat, ut pariter in dicta sede condemnationis fructuum advertitur cum similibus. *infra dicto disc. ubi de fructibus, & apud proximè supra allegatos.*

Hæc autem omnino exularunt à Curia Romana, aliisque Tribunalibus ab ea dependentiam habentibus, sive quæ cum ejus praxi, ac opinionibus procedere debent; Ut generaliter sunt omnia Tribunalia fori ecclesiastici per universum Orbem Catholicum, quoties stylus particularis legitime inductus, aliter non exigat; Ac etiam sunt Tribunalia laicalia Ditionis temporalis Ecclesiæ, quæ sub nomine Status Ecclesiastici explicatur, quoniam proceditur cum dispositione juris canonici, qua attentata, instantia nunquam perit, sed est perpetua, juxta viorem, magisque receptam opinionem, unde propterea isti termini peremptionis, ac respectivè instaurationis instantiæ sive insufflationis spiritus ignoti sunt Præcticos, licet non desint volentes, quod etiam de jure canonico ista peremptio instantiæ detur, sed prior opinio recepta est in Curia. *quando etiam de jure canonico pereat. Covarr. in cap. quantum pactum de pact. in 6. par. 2. numer. 4. Rovit. super pragm. 1. de instantia caus. non restauran. numer. 1. & alii; Contrarium autem esse verum, & receptum Vestr. & add. lib. 3. cap. 5. Marant. in prax. verbo, & omnia fiant durante instantia num. 14. Royas decis. 294. decis. 326. in fin. par. 11. rec. & tit. de benef. disc. 92.*

Adhuc tamen alia intrat species cessationis, vel extinctionis liti, per desertionem resultantem à præsumpta voluntate ejus, qui diu per longissimum tempus eam deseruit, quasi quod eam pro derelicta habuerit; Verum id nimirum rarò in praxi verificabile est, cum ad hunc effectum duo copulativè requirantur; Primò nempe lapsus longissimi temporis ex sola negligentia absque excusationis legitima causa; Et secundo bonum jus, unde propterea quoad colligantem, vel successorem, qui antiquatam litem diu quiescentem instaurare, vel suscitare velit, ista exceptio extinctæ, vel desertæ liti, nimirum rarò proficua est, quoniam sive ex beneficio restitutionis in integrum ex capite injustitiæ, sive ex capite excusationis, antiquissimæ lites, quæ penè per secula quieverunt, de facili suscitantur, perinde ac si novæ ac integræ essent, quod aliquem ab usum redolere videtur, ut in restitutionis in integrum particulari sede advertitur; Ideoque hujus extinctionis inspectio, in beneficialibus tantum cadere solet, ad removendas reservationes, vel alios effectus beneficii litigiosi cum terro de hoc vitio opponente, dum in eis utpotè vitalitatis, ac non transmissibilibus ad hæredes, & successores, qui dependenter à primo colligante veniunt, non intret illa continuatio ejusdem liti, quæ in prophanis datur in hærede, cum solum per quandam imaginem juris successorii, ista continuatio dari videatur in illo noviter proviso, qui Apostolicam sub-

rogationem obtineat, ut in sua particulari sede super executione literarum Apostolicarum infra advertitur: *infra in discursu executionis literarum Apostolicarum. & sub tit. de benef. disc. 91. & 92. ubi de hac materia extinctionis litis.*

22 Eadem distinctio inter lites, & causas temporales, vel prophanas, ac beneficiales, seu alias merè personales, & non transmissibiles, intrat circa illam extinctionem, vel cessationem litis, quæ resultat à morte unius ex colligantibus cum in beneficiabilibus tantum id verificabile sit cum suis declarationibus, in quibus in eadem supra insinuata sede executionis literarum Apostolicarum non autem in prophanis super bonis, ac juribus transmissilibus, in quibus hæres, vel successor, defuncti personam in univèrso jure repræsentat, ac si mors non contigisset, *infra eodem supra citato discursu.*

23 Cessat quoque, seu extinguitur lis per cessionem, seu renunciationem, ex generali regula, quod cedentibus jura sua non datur amplius ad ea regressus; Ad hunc tamen effectum intrat distinctio inter illos terminos litis, & causæ, qui aliàs pro synonymis habentur, ac promiscuè per Practicos adhibentur, quoniam per renunciationem liti, renunciatum non censetur causæ, id est juri, quod colliganti competat, quia nempe renunciatio illam instantiam, seu illud iudicium tantum percutiat, sive ad effectum inspiciendi, an intet, necne sumoniæ labes, quando pro huiusmodi renunciatioe aliquid temporale reficiatur, vel dimittatur ab eo, cuius favore cessio, vel renunciatio fiat, *sub tit. de benef. disc. 70.*

24 De litis autem proficuo effectu favore unius ex colligantibus contra alterum super jure petendi alimenta, & sumptus litis, agitur in ejus particulari sede, *infra disc. 14.*

25 Atque in Curia quædam in colligantibus specialitas habetur, super pace, ac reverentia inter eos servanda, ut per Apostolicam Constitutionem, quæ *Alexandrina* dicitur, gravissimis poenis afficiatur ille colligans, qui alterum, vel eius defensores, verbis, vel factis offendat, *apud Farinac. conf. 67. lib. 1. apud Marchesan. de commiss. par. 1. fol. 1296.* Cum aliis quæ ad materiam litium in progressu insinuari contingit.

26 Alter quoque resultat effectus ex lite, quæ calumniosa non sit, in beneficiabilibus, ut uno ex colligantibus moriente, alteri superstiti debita sit subrogatio ad lites extinguendas, ne cogatur novum habere colligantem, ut in rerum beneficiabilium sede advertitur, *tit. de benef. disc. 50. & 92.*

27 Ibi quoque etiam agitur, quando lis dicatur calumniosa, quod etiam infra occasione reflectionis expensarum insinuatur, *ibidem & infra in eo discursu. in quo agitur de expensis.*

28 De litis autem cessatione per rem judicatam, vel per tres conformes, quando sequi dicatur, habetur infra in rei iudicate particulari sede, *infra in eo discursu. in quo agitur de appellatione, & re judicata.*

De libello, monitorio, & commissione, vel supplicatione, aliave petitione, super causâ, vel iudicii introductione.

SUMMARIUM.

1. Antiquis necessaria erat rigorosa solemnitas libellorum.
Card. de Luca de iudiciis & judicialibus

2 Hodie ubique non videtur necessaria.

3 Etiam articuli solent sufficere loco libelli.

4 Etiam ubi habetur usus libelli, ejus loco sufficit qualis qualis petitio.

5 Actor, reo petente, tenetur declarare libellum.

6 De licita cumulatione plurium actionum.

7 Sed reo instante tenetur actor se restringere.

8 Sententia debet esse conformis libello, nisi clausula suffragentur.

9 Quando suffragentur clausula.

10 In quibus Curia Tribunalibus libellorum usus habeatur.

11 In Rota proceditur per viam commissionis, quæ est loco libelli.

12 Commissio non extenditur de casu ad casum, vel de persona ad personam.

13 De clausula quæ, & quas, ejusque operatione,

14 In Tribunali Camera Apostolica proceditur per viam propositionis, quæ est loco libelli, seu commissionis.

15 In Tribunali Auditoris Camera proceditur per viam monitorii, quod est loco libelli.

16 Quomodo procedatur in Sacris Congregationibus Cardinalium.

17 Quid in iudiciis executivis.

18 Commissio conditionalis non tribuit jurisdictionem, non purificat a conditione.

19 Clausula prima commissionis censetur repetita in aliis.

20 Attenditur rescriptum, non corpus commissionis.

21 Est surreptitia, non facta mentione litis.

22 Quid si adsit clausula cuius statum.

23 In causis Rotabilibus non datur advocatio.

24 Surreptitia commissio non facta mentione transactionis, vel rei iudicatæ, & quando secus.

25 Quando accedente commissione advocatoria, alter iudex procedere valeat.

26 De necessitate citationis ad dicendum contra commissionem.

27 Quando sine dicta citatione fiat communis, & presertim si in plena Signatura, & ad quid.

28 De commissionibus appellationis.

29 De reproductione Monitorii.

30 In Rota sufficit unica commissio.

31 Quid si subrogatoria non inveniat.

32 In commissione dependente non est necessaria citatio ad dicendum, &c.

33 De clausula cum emergentibus, & dependentibus.

34 Directa iudici ordinario, an eum faciat commissarium.

35 De clausula iustitiam faciat prout de jure.

36 In Rota attenditur ultima commissio.

37 Quando commissioni censetur renunciatum.

38 In quibus causis requiratur monitorium.

39 De stylo Sacri Concilii Neapolitani.

40 De contracommissionibus, sive de moderationibus commissionum.

DISC. VIII.

Juris civilis dispositione attentata, juxta rigores, vel formalitates, quæ forsân illis antiquis attentis moribus, justum habebant motivum, nobis hodie ignotum pro iudiciorum, & causarum legitima introductione, ac progressu, libellus in quadam solemni forma porrigendus, omninò necessarius erat, cum tali præcisa restrictione, ut quicquid extra illum, iudicari, ac peragi contingeret, inutile esset, Quinimò in plerisque casibus, quod etiam utile videret, atque utrumque processum corrucere faceret. *Marant. in prax. par. 4. distinct. 9. Muscatell. in prax. civil. par. 1. in principio.*

C

Hodie